

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Davidis de Spina ... Manuale sive Lexicon  
pharmaceutico-chymicvm**

**Spina, David de**

**Francofurti ad Moenum, 1700**

[Flores]

[urn:nbn:de:bsz:31-127465](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127465)

terere. Consentit *Zyvelfferus*, eas planè è foro Medico excludens. Devenio inquit, ad fæculas, inutile & effœtum medicamenti genus, de quibus meam sententiam veris rationibus firmatam jam pridem præmisi. An enim quispiam, qui mente sibi præsens, crediderit, Radicem aliquam succo tuo per expressionem orbatam & siccam, efficaciorẽ fore radice integra sua virtute adhuc gaudente, succoque suo in se per exsiccationem concreto? Fæcula ergò nihil aliud est, quàm subtilior non virtutis, sed corporis seu radice saltem pars, quæ dum per sacculum lineum contusa & rasata radix exprimitur, una cum succo transluit, postea verò succo suo per effusionem & decantationem privatur & totaliter orbatur: iidem autem & non minori relicta minoribus ab expressione radix virtutibus gaudet, quæ tamen abjicitur tanquam succo suo orбата, & consequenter vitibus jam exhausta radix esset. *Vid. corp. ph. p. 1. b*

## Flores Antimonii.

32. *Antimonii selecti* ℥ij. Tere in subtilem pulverem, & ex vase terreo in aludel, sive ollas artificiosè sibi incumbentes, sublima s. a. applicato superne alembico rostrato, dando ignem moderatum, ne Antimonium fluat, ac flores diversi coloris separatim colligantur & serventur.

Sequenti methòdo citius florum copia habetur.

32. *Retorta tabulata*, oblongo & lato collo prædita, cui candefactæ injiciatur per vices, *Antimonium pulverisatum* singula vice circiter ʒij; tum materiã liquefacta, flores exsurgentes folle propellantur in recipiens, per foramen in extremitate retortæ factum, ut follis penetrare queat, & si fumus cessat, nec amplius propellantur flores, tum de novo injiciatur

antimonium, & procedatur uti prius; Et hic labor  
tam diu reiteretur, donec sufficiens habeatur flo-  
rum quantitas,

Hac verò methodo omne antimonium in flores cogi  
potest paucissimis restantibus partibus terreis. Ignis  
tamen sit satis validus, alias enim vix ascendent flo-  
res. *Vid. corp. ph. p. 3. b.*

#### Flores ex Antimonio crudo vel Regulo.

Immittatur  $\text{S}$  vel ejus *Regulus* retortæ bicornutæ,  
sine ulla rerum aliarum admixtione, solo ab altera  
parte præmissio recipiente, non arctè tamen aggluti-  
nato, ut spiraculum relinquatur. Et postquam omnia  
in furno accommodata, Antimoniumque, igne pau-  
latim substrato, in retortâ prædictâ fufum fuerit; fol-  
liculo per rostrum, recipienti suppositum, paulatim  
intuffetur; & illic flores Antimonii ubertim, per  
canalem in vas recipiens prorumpunt. Hoc tamdiu  
folle intuffando, continuando, quoad omnes flores,  
pro maxima Antimonii parte pulsi fuerint: qui tan-  
dem è recipiente eluendi, ac per repetitam sublima-  
tionem rectificandi sunt.

Agrè tamen absque addimento flores dimitti  
*Charas* asserit, nisi accuratissimum accesserit regimen  
ignis. Cum verò feliciter succedat operatio materia  
cujusdam extraneæ additione, ad prohibendam Anti-  
monii fusionem, hinc partium hujus admiscere juvet  
duas vel tres partes arenæ ac ejus mixturâ circiter  $\frac{3}{4}$   
per tubulum retortæ injicere præcipit; donec sic sen-  
sim omnis pulvis injectus & flores egressi sunt vel per  
se, vel ope follis. Si absque flauo follis flores libere ele-  
vari permittuntur, id quod tamen tardius procedit,  
ascendunt flores varii coloris, qui omnes seorsim sunt  
asservandi. *Vid. corp. ph. p. 3. b.*

Flo-

## Flores Antimonii juxta Schrœd.

℞. ♂ *Crudi triti*. q. v. pone in cucurbitam fictilem, quæ in s. m. ponatur satis profunde: Cucurbitæ adapta alembicum cœcum vel rostratum cum excipulo, aut si mavis connectas ollas aliquot (Num. iij. vj. vel plures,) sese in vicem excipientes: Ignem gradatim admove, ne sit nimium fortis, nec debilis nimis. Si enim fortior sit, funditur Antimonium, nec sublimatur; sin verò debilior, non ascendunt flores. Si Δm rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos, & rubros; Phlegma Antimonii in appositum excipulum colligi poterit.

N. 1. Felicius ac compendiosius proceditur: *Primò* si cucurbita tubulum seu canalem in latere habeat, per quem Antimonium tritum paulatim per vices (singulis horis parum,) in cucurbitam, (gradatim ignitam,) injiciatur. Liquefcit enim statim ♂ abique ferè penitus in flores. *Secundò*, si cucurbita oblique fornaci imponatur, ut tubulus perpendiculariter ascendat. *Tertiò*, si in anemio sublimatio instituat, ac *Antimonii* ℥ij. *Arenæ* ℥ij. admisceantur. Alii admiscent *carbones contusos*, eliciuntque Sulph. remanente in fundo materia cœrulea, in qua ♀ Antimonii. *Quartò* alembici vertex foraminulò sit pervius; Et hoc probè notandum est, nisi sine frustrari velis. *Vid. corp. ph. p. 3. b.*

## Flores ♂ Compositi juxta Le Mery.

Pulverisa & misce accuratè *nitri vulgaris* libris quatuor *antimonii* libram unam, hanc mixturam inde retortæ fictili, vel vitreæ luto obductæ cujusque pars dimidia vacua remaneat; Colloca hanc in fornacè reverberii, ipsique recipiens amplum adapta; *Commissuræ accuratæ* luto agglutinentur, ac adhibe

ignem lentum initio, ut incalescat retorta, quem gradatim auge, videbis flores rubros egredientes, ac in recipiens se recipientes, ignem continua, quousque nulli amplius egrediantur, quod dignosces commissuram luto liberando, recipiensque removendo; collige hos flores, eosque serva. *magis emetici sunt praecedentibus*, ad eisdem usus exhibentur à 2. granis ad 4. in tabellis vel liquore convenienti. Vid. corp. ph. p. 5. b.

#### Flores & Martiales *Quercetani*.

℞. *Reguli stellar. atque* ✱ (à ☉ ter sublimat.) an. sublima his cerye; hinc edulcora & exicca, tandem denudò à colchotare tertio eleva.

Vires: Purgant blandè, conferunt ad omnes febres intermittentes. Dosis aliquot gr. ex mente *Basilii*. Flores hi cum ✱ sublimati, & nondum ab eodem edulcorati, resolvuntur in liquorem magnarum virium in vulneribus. Vid. corp. ph. p. 6. b.

#### Flores Benzoini.

℞. *Benzoe* tritum, & cum æquali *arena* parte mixtum, olla rotundæ impone, cujus orificium duplici charta emporetica, convoluta in modum pyramidis, vel manica Hippocratis claude, postea igne ad sublimationem idoneo supposito, flores niveos sæpius collige. In promptu verò sint aliquot pyramides ex charta emporetica, quo remoto uno, alter citò adaptari, & ex illo flores serici albi instar splendentes amoveri & colligi queant. Vid. corp. ph. p. 7. b.

#### Flores Benzoini per destillationem facti.

℞. *Benzoi pulv.* ℥j. *Spir. vini opt.* ℥ix. Destillentur per retortam ex arena, & Spiritus vini primo exit seorsim, quem sequitur liquor crassus instar butyri; hujus

hujus partem primam & albidiorē solve in aqua ferventē & citissimē per chartam cola. Sic sub manibus flores coagulari videbis. Cum nigriori butyri parte eodem modo procedes, sed flores non ita elegantes, ac priores. Aquam residuam in suo vase aquæ frigidæ impone, & sensim descendat lac album, ejusdem cum floribus virtutis. Si post butyrum egressum labor ulterius continuatur, exit *oleum Benzoi*, cum cineribus, vel cum *Spir. vini* rectificandum.

Vires florum sunt pectorales, difficili respirationi, & crassis pulmonibus impactis humoribus conducibiles. Dosis gr. v. ad ℥j. Odoriferis permixti halitum suavem edunt. *Vid. corp. ph. p. 8. b.*

*Flores Benzoi juxta Ph. Nor.*

- ℞. *Benzoes pulv.* q. l. Misce cum *sabulo*, ac eis imple retortam ad medietatem, destilla gradatim ex arena, & exhibit liquor seu oleum instar butyri.
- ℞. Hunc liquorem cum oleo, adde aqua pluvia q. s. destilla extineribus per alembicum, & extillabit oleum clarum. Postquam pars media aquæ extillavit, extinguitur ignis, effundaturque materia, in cucurbita relicta in lebetem æneum, calefiatque optimè super igne, affuso subinde aquæ calidæ quadruplo; hinc, filteretur per pannum, filtratum reponatur ad crystallifandum, tum collectos flores ex sicca leni calore. *Vid. corp. ph. p. 8. b.*

*Flores Bismuthi, modo Le Meritano.*

Calcinetur *Bismuthum* eodem modo, quo plumbum, hinc permisce hanc calcem simili quantitate *Salis armoniaci*, fiat sublimatio in modum sublimationis stanni, habebis flores, quos solve-

re in aqua poteris, ac præcipitare beneficio salis armoniaci, vel olei Tartari. Vid. corp. ph. p. 16. b.

Flores Jovis juxta Le Mery.

Stanni partem unam, Salis armoniaci pulverisatæ partes duas, misce ea exacte, & mixturam hanc impone cucurbitæ figulinæ, quæ vim ignis ferat, ita, ut tertia ejus pars solum plena sit, adapta ei capitellum cœcum, commissuræ exactè luto agglutinentur, ac colloca tuum vas in fornace exigua craticulis ornata, igne patenti, ita tamen, ut ignis non transpiret nisi per spiracula, de ea re obturanda est pars fornacis superior lateribus & luto, relinquendo ad latera foraminula quædam. Requiritur etiam, ut cucurbita fornacem ingrediatur ad tertiam usque partem altitudinis ejus vel circiter. Adhiæatur primo ignis exiguus, quem pedetentim augebis, quousque candescat cucurbitæ fundum; eodemque gressu procedes, donec nihil amplius ascendat: quod ex capitelli refrigeratione dignoscetur, & tunc perfecta erit sublimatio. Permite refrigerari vasa, tunc lutum remove, reperies flores, qui nihil aliud sunt, quam quædam stanni particulæ, à sale armoniaco elevatae, adhærentes capitello, & superiori cucurbitæ parti; in fundo verò invenietur stannum redivivum. Vid. corp. ph. p. 14. b.

Flores Jovis vel Stanni alii Le Mery.

Habeto ollam terream vernice non illitam, quæ in media altitudine sua foramen habeat cum suo obturamento, collocetur olla in fornace debitæ magnitudinis ac figuræ, quam ingredi ad foramen usque possit, præsta, ut beneficio laterum & luti ignis non transpiret, superiori parti adapta tres aludellos vel ollas terreas perforatas vel sine fundo, hisque impone

pone capitellum cum recipiente ; luto commissuræ probè agglutinentur, & in fornace validum ignem accendito, ut candescat pars ollæ intra eam existens, hinc permisce  $\text{℥j}$  stanni,  $\text{℥ij}$  nitri purgati; cuius mixturæ cochlear unum conjice per ollæ foramen, idque obtura, paulò post fiet detonatio; quâ factâ conjice aliud cochlear, sicque continua usque quo tota mixtura sit in sumptâ, sine vasa refrigerari; ac in recipiente reperies paucum spiritum nitri, & circa aludellos flores stanni albissimos, penna eos collige, ac aqua fontana multoties elue, siccatosque super papyro in umbra, serva in phiola. In fucis utiles sunt; ex iis pomatis unguentis vel liquori permixtis, egregium fit album. In inferiore olla invenietur calx stanni, parti fixæ nitri permixta, ebullire ea debet, in aqua lavari & sicari, qua potest quis uti in unguentis desiccativis parandis. Vid. corp. ph. p. 15 b.

#### Flores Nitri Minsichti.

Solve nitrum præparatum in aq. Rosarum. Postea inde ollæ novæ non vitreæ & pone in loco frigido, per aliquot dies, donec flores nitri pertranscant, & parietibus ollæ externis adhæreant; qui deinde pede leporino diligenter abstergantur & ad usum, sine ulteriore præparatione servantur.

Febribus Hungaricis & aliis malignis & ardentibus singulariter conducunt; Omnes inflammationes compescunt; Faucium scabritiem, confiniumque partium æstum, præsertim quando nigrescere incipiunt, citissimè tollunt. Dosis à  $\mathcal{z}$ ss. ad  $\mathcal{z}$ j. in vehiculis appropriatis. Vid. corp. ph. p. 9. b.

#### Flores Salis armoniaci simplices.

Sal Armoniacum l. q. aqua calida solvatur & filtretur; postea in locum frigidum reponatur, & flores

res



res in aqua subsidentes exsiccantur, liquor verò remanens pro ulteriori florum collectione per exhalationem concentretur.

Præter virtutem Diaphoreticam in febribus inprimis proficuum etiam hypochondriacis utiliter usurpatur. *Vid. corp. ph. p. 8. b.*

Flores \*ci ♀ sati sive Compositi.

℞. Salis armon. pulch. ⊖ Tartari an. ℞℞, vel q. l. Pulverifata misce & in cucurbita humili in arena locata destillationem institue, sic primò ascendit Spiritus \*ci urinosus, quem tunc sequuntur flores copiosissimi, qui cucurbitæ orificium sensim replent: Versus inferiora verò magis compactum sal adponitur. Post pèractum opus flores subtiliores seorsum asserventur. Quoad vires præbent antifebrile talis conspicuum. Dosi gr. v. ad ℞℞. *Vid. corp. ph. p. 8. b.*

Flores Salis Armoniaci Compositi

*Le Mery.*

Pulverisa ac commisce accuratè & anaticè Sal armoniacum pulverifatam cum sale marino decrepitato, hanc mixturam cucurbitæ figulinæ indito, cui arenæ impostæ adaptato cœcum capitellum, sub initio ignem lentum adhibeto, eumque pedetentim augeto, quousque videas ascendere sal armoniacum sub farinæ forma, quod capitello & cucurbitæ superiori parti adhærebit: quousque nil amplius ascendat, ignem continuato, hinc vasa refrigerescere permittito, leniter capitellum removeto, penna flores colligito, quos in phiala probè obturata servabis iisdem cum armoniaco sale vitibus pollent, sed dosis minor est à granis scilicet 4. ad 15. *Vid. corp. ph. p. 9. b.*

Flo-

Flores  $\Delta$  *simplices.*

*R.* Sulphuris communis in frustra contracti ℥ij. Injice in cucurbitam terream vitreatam, & imposito alembico vitreo ex arena sublima, igne non nimium intento, ne sulphur fluat; quod ita in flores sublimabitur, qui repetitis sæpè alternis alembicorum vicibus sunt colligendi, & denuò sulphuris subinde aliquid cucurbitæ immittendum, quousque sufficiens florum quantitatis collecta fuerit. In tussi, phihisi & asthma in primis laudantur. Vid. corp. ph. p. 10. b.

Flores Sulfuris simplices *juxta**Le Mery.*

Sulphuris grossè pulverisati ℥℔. vel circiter in cucurbitam fictilem indito; hanc exiguo igne aperto admove, hinc superpone ollam vel aliam cucurbitam inversam minimè vernice illitam, ita ut unius collum alterius collum ingrediatur: quaque dimidia hora tolle cucurbitam superiorem, aliamque adapto: Sulphur etiam novum addito: flores cucurbitæ adhærescentes collige, sicque perge, donec horum q. l. nactus fueris: ignem tunc remove, vasaque refrigerari permittite, nil aliud in fundo remansisse comperies præter paucam terram levem & inutilem.

Usurpantur flores Sulfuris, in pulmonum ac pectoris affectibus, exhibenturque à granis 10. ad 30. ex tabellis vel opiaris, adduntur etiam unguentis contra scabiem. Vid. corp. ph. p. 10. b.

## Flores Sulphuris albi.

*R.* Sal. nit. purificat. q. v. liquecat in  $\dagger$  lo postea injice per vices sulphur. pulveris. ( ut in lapidis prunellæ præparatione ) idque tam diu, donec sal nit. in iplo igne coaguletur; Ignem postea

au.

auge, operculatoque  $\text{H}$ -bulo etiam  $\Delta$  supra accende, idque continua, horis duabus.

xx. Ergo hujus *Sal. nit. fixi* p. j. *Sulph. elect.* p. ij. *Misce* optimè & sublim.  $\Delta$  arenæ.

Vires Lacti Sulphuris viribus ac potestate æquivalent. *Seunerr. inst. Tenzel. Vid. corp. ph. p. 12. b.*

Flores Sulphuris Benzoinati *ex Schræd.*

Fiunt duobus modis: vel sublevando alembic. omni hora, interea dum sublimantur flores sulphur. & in cucurb.  $\zeta$ j. pulv. Benzoini projiciendo vel collocando flores jam factos in patinam terream vitream, in ejus medio scutella terrea prominèat, cui inditur ferrum incensum igne, moxque injiciuntur particulæ Benzoini, contegitur patella, ut fumus flores verberet, sicque iteratur ferri accensio, & Benzoini projectio, donec sit latis, quo facto teruntur flores sulph. cum floribus Benzoini aggregatis, servanturque tanquam odoris jucundi, majorumque virium. *Vid. corp. ph. p. 12. b.*

Flores Sulphuris Corallati *ex Schræd.*

xx. *Corall. Hl. Fl. Sulphur.*  $\zeta$ iv. tere minutissimè & misce; sublimaque & dictam  $\nabla$ m profluentem seorsim primo collige, dein flores. *Vid. corp. ph. p. 12. b.*

Flores Sulphuris Gummati seu Myrrhati *ex Schræd.*

xx. *Flor. Sulph. composit.* ut ante  $\text{H}$ b. *Calchotar.*  $\zeta$ v. *Sal. comm. fusi*  $\zeta$ v. *Myrrh. Alexandr. Thur. an.*  $\zeta$ ij. *Aloes soccor.*  $\zeta$ ij. *Mastich.*  $\zeta$ iii. *Croc.*  $\zeta$ ß. Omnia trita simul atque benè mixta sublima l.  $\Delta$ . post horas aliquot exime flores, rursus alembico impone,  $\Delta$ m continuando, per horas aliquot. (duodecim) *Vid. corp. ph. p. 12. b.*

Flo-

FLORES. GARGARISMUS. 527

Flores Sulphuris Compositi P. A. R.

℞. *Flores Sulphur.* ℥ii. *Aloes hepatica, Myrrha selecta,*  
an. ℥j. *Croci* ℥i. Terantur in pulverem subtilis-  
simum, & ferventur ad usum. In peste, præser-  
vationis loco, pleuritide, aliisque morbis conveni-  
unt. Difficiles partus accelerat, suppressionem men-  
sium restituit. Dosis à ℥ss. ad ℥j. *Vid. corp. ph. p.*  
13. a.

Flores Sulphuris Olati ex Schrad.

℞. *Sulphur. flaviss.* ℥vi. *Sal. comm. fusi* & *Oli cal-*  
*cinati* an. ℥ss. pulverisentur & misceantur. F.  
Sublimatio ut dictum, dando initio lentum ignem,  
post aliquot horas (3. vel 4.) phlegma incipiet  
stillare & durabit per horas 4. vel 5. *Vid. corp. ph. p.*  
14. b.

G.

Gargarismus de Acacia Mins.

℞. *Acacia opt. & rect.* ℥ss. *Nuc. Cupress. Balaustior.*  
*Malicorii,* an. ℥ij. *Herb. Majorana, Hyssopi, Sal-*  
*via,* an. ℥ss. *Rad. Ireos flor. Aluminis,* an. ℥j.  
*Glandium, Rosar. rub.* an. ℥ss. Bulliant in *vini rub. &*  
*aq. fol. quercin.* ana s. q. ad tertiæ partis consum-  
ptionem.

℞. *Colatura* ℥vi. *Rob. nucum.* ℥ij. *Sp. Vitrioli* ℥j.  
Misc. & detur in fictili. Mobilitatem dentium au-  
fert, eosque figit, & immobiles reddit, atque con-  
servat. Dentes & gingivæ verò sæpè quotidie hoc  
decocto eluantur. *Vid. corp. ph. p. 442. a.*

Gargarismus de Althea Mins.

℞. *Rad. Althea* ℥j. *Malva* ℥ss. *Herb. Violaria, Fra-*  
*garia Hyssopi, Salvia,* an. ℥iij. *Fol. Persicorum,*  
Cera-